



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Priorissæ Ac Monialibvs de Campesseia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

nem fas sit sine Prioris sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Auctoritate quoque apostolica prohibemus ut nullus in vos vel monasterium vestrum excommunicationis vel interdicti sententias sine manifesta & rationabili causa promulgare, seu novis & indebitis exactionibus vos aggravare præsumat. Christma verò, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes Clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, à diocesano suscipietis Episcopo; siquidem catholicus fuerit & gratiam & communionem sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. In parochialibus verò Ecclesiis quas habetis liceat vobis sacerdotes eligere & diocesano Episcopo præsentare; quibus, si idonei fuerint, Episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis verò de temporalibus debeant respondere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obstat. Salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Priore vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratrum major pars consilij sanioris secundum Deum & beati Augustini regulam providerint eligendum. Libertates præterea & immunitates antiquas & rationabiles consuetudines Ecclesiæ vestræ concessas & hæcenus observatas ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu

quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate & diocesani Episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona &c. usque subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus &c. usque præmia æternæ pacis inveniant. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij 111. Non. Februarij, Indictione XII. incarnationis domini cæ anno MCCX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno duod.

*PRIORISSÆ AC MONIALIBVS
de Campesieia.*

I Vstis petentium desiderijs dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & locum in quo divino estis obsequio mancipatæ, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum iustis modis præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri & nostræ protectione suscipimus. Specialiter autem terras, possessiones, & alia bona vestra, sicut ea omnia iuste ac pacificè possidetis, vobis & per vos eidem loco auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere vel ei &c. usque incursum. Datum Laterani 11. Non. Februarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

AGENNENSI EPISCOPO.

Veniens ad præsentiam nostram nobilis vir R. Comes Tolosanus sua nobis exposuit questione se super processu Legatorum nostrorum multipliciter aggravatum, & licet bonæ memoriæ magister Milo Notarius noster gravia mandata eidem injunxerit &c. sicut in alia per totum, que scripta est in tertio tomo folio supra usque in finem. Datum Laterani v 111. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

E I D E M.

Super quibusdam mandatorum artium. Quis dilecto filio nobili viro R. Comiti